Cicero, Marcus Tullius; Kachelofen, Konrad [DruckerIn]: Eloquentissimi viri erudissimiq[ue] philosophi Marci Tullij Ciceronis pro Marco Marcello ad patres cscriptos et Caium Cesarem Oratio

Leipzig, [nicht nach 1492] [GW 6790] [Sack 1013] Seite 1b

## Argumentum orationis de laudibus cesaris occasione Marci marcelli per Cesarem restituti

Marcellus ciuis romanus amplissimus atque clarissimus in dissensione ciuili fuit cum pompeio quemadmodum et Cicero cum multis alijs senatoribus ciuibusque romanis. Confecto autem bello cesar victor multos ex inimicis suis fautoribusque pompeij ad patriam restituit et ad pristinam dignitatem. inter quos Ciceronem et postmodum deprecante senatu populoque romano restituit et marcellum et ad patriam et ad pristinam dignitatem. non obstante quod Marcellus cesarem offendisset et quod Cesar adhuc suspicari se diceret de voluntate Marcelli tamen sua illa benignitate notissima sue priuate passioni publicam anteposuit voluntatem. Unde hanc Cicero orationem agit ad Cesarem qua ipsum de illa sua humanitate diuino prope ore commendat ostendens eum esse per suam clemenciam in restitutione Marcelli summam atque immortalem gloriam consecutum. Deinde ostendit multis rationibus non debere Cesarem de aliquo suspicari. et tamen eum rogat vt pro salute publica vitam suam custodiat sine qua non possit dignitas rei publice restitui nec seruari.

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/cicero1492a/0004
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg